



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Consideratio V. De Anima Rationali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

na. Discutitur verò somnus, vel sponte, dum nempe spiritus novi emergunt, seseque expandunt, aut solvuntur à compedibus feri &c. vel violenter, cum sensus exterior clamore, punctione percellitur; aut acris humor divexat corpus; tunc enim partes nerveæ vehementius sollicitatæ, quidquid est spirituum concitant in motum, nec quies animali conceditur. Ex quibus intelliges, quid sit vigilia. In hac Confid. ea possunt recoli, quæ dicta sunt, ubi de unione.

CONSIDERATIO V.

De Anima Rationali.

Anima rationalis est actus primus corporis naturalis organici potentiâ vitam rationalem habentis. Quomodo existat, & sit forma informans corpus, probatum habes Contemp. 2. & 11. Cum spiritualis sit & immortalis, ut postea probabitur, nec generatur nec corrumpitur, adeoque neutiquam ex subiecto materiali dependet, aut sustentatur; sed à Deo creatur, dum corpori infunditur, uti habet communis & vera omnium Orthodoxorum doctrina. Unde ait Ecclesiastes cap. 12. *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et 2. Machab. 7. Mater illa suos filios ita alloquebatur: *Neque enim ego spiritum & animam donavi vobis.* De anima rationali jam hæcenus hinc inde multa. Superest, ut, quæ eidem sunt propria, hæc discutiamus.

CAPUT I.

An hominis Anima sit Spiritualis?

Variant Authores circa notionem entis spiritualis & materialis: à potiori tamen in hoc conveniunt, quòd ens materiale sit ens quantitativum, si-ve quod est vel ipsa quantitas, vel naturaliter perpetuò ac physicè connectitur cum quantitate, si-ve hæc distinguatur à materia si-ve non. Unde multi fecerunt ens materiale à spirituali per hoc, quòd illud, vel sit immediatè sensibus perceptibile, vel naturaliter, perpetuò ac physicè connectatur cum ente sensibus immediatè perceptibili. Et hæc notio videtur communis & clarissima, quam habeamus de ente materiali. Unde ens spirituale erit, vel substantia elevata supra omne quantitativum & sensibile, vel aliquid ex natura sua adæquatè inhærens tali substantiæ.

Dicendum. Anima hominis est spiritualis. Conclusio est Catholica, extatque definita in Conc. Later. sub Inn. III. cap. firmiter, & alibi, nec obscure colligitur ex S. Script. ut ex illo Joan. *Et inclinato capite emisit spiritum,* & aliis plurimis: à ratione autem sic demonstratur. Potentia ex natura sua potens operari spiritualiter est spiritualis; Anima hominis est potentia ex natura sua potens operari spiritualiter: ergo est spiritualis. Major est evidens, & fundatur in illo principio certo ac manifesto, quòd modus operandi sequatur modum essendi, quòdque adeò effectus spiritualis sit à principio spirituali. prob. mi. Quod in suo modo operandi excedit omnem potentiam certò materialem, illud

lud ex natura sua potest operari spiritualiter; anima hominis in suo modo operandi excedit omnem potentiam certò materiale: ergo. Major est iterum evidens: nihil enim omnes intelligimus nomine potentiae spiritualis, nisi eam, quae ex natura sua ordinatur ad effectus non competentes iis rebus, quas scimus esse corporeas. min. prob. tum ex actibus intellectus, tum voluntatis.

Ex actibus quidem intellectus sic licet arguere: quisquis per actus intellectus naturaliter attingere potest & concipere ens materiale & spirituale, finitum & infinitum, negativum & positivum, chimæricum & possibile, universale & singulare; quisquis item discernit inter bona corporea & incorporea, æterna & caduca, honestum atque inhonestum, verum & falsum, evidens & probabile, consentanea rationi, & dissidentanea, sectanda sapienti & fugienda: quisquis modo tendendi negativo & affirmativo, directo & reflexo, intuitivo & abstractivo, illativo & non illativo versari potest circa scibilia omnis generis, eaque vivis coloribus animo informare: quisquis denique per actus reflexos supra omnes actus materiales tam sensuum externorum, quam internorum; item supra imagines omnes rerum, quas sensus efformant, vel formantur in sensibus; potest evidenter se ipsum certum reddere, quòd imagines ejusmodi sint, vel non sint accuratæ, bene vel malè repræsentent objectum &c. is evidenter habet modum operandi, qui excedit modum operandi omnis potentiae materialis: sed anima hominis ita se habet per actus intellectus: ergo. Confirmatur: Nulla potentia attingit, quod est extra ipsius sphaeram; sic potentia auditiva non percipit sapes, nec visiva sonos, nec non cognoscitiva rerum imagines &c. Atqui anima hominis attingit, quod est ab omni sensibili abstractum, & transcendit omnia materialia: ergo ista non sunt extra illius sphaeram: ergo cum hæc & illa sint intra eandem sphaeram, sunt ejusdem rationis, aliàs dicendum esset, brutum, imò lapidem horum omnium capacem esse.

Ex actibus voluntatis sic argumentamur: Omnis potentia appetitiva, quæ per suos actus non solum fertur in corporea, verum etiam in incorporea & omnis materiae expertia, quæ liberrimè se determinat ad honesta vel inhonestia, quæ spes suas ultra temporum omnium metas exporrigit, quæ immortalis nominis, vel felicitatis cupiditate illecta spernit omnes voluptates corporeas, quæ sensuum omnium illecebras generoso calcatur animo, ut fruatur objectis pure immaterialibus, & Deo placeat, quæ nulla satiatur felicitate sensibili, quæ nulla vi creata cogi potest ad mutandum propositum, quæ virtutis officia, etiam reluctanter sensibus, ingenti cum voluptate exsequitur &c. omnis, inquam, talis potentia excedit in modo operandi omnem potentiam materiale; hoc potest anima hominis, atque etiam in multis, & sæpius taliter operatur: ergo est potentia, quæ in modo operandi excedit omnem potentiam materiale, consequenter & in modo essendi.

Conf. 1. Nulla potentia appetitiva potest averfari omnem suam felicitatem: atqui felicitas & bonum finale appetitus materialis est possessio alicujus boni materialis ac sensibilis: ergo nullus appetitus materialis potest contemnere omnia bona materialia & sensibilia. Conf. 2. omnis alia potentia appetitiva, quæ certò materialis est, qualis est bestiarum, non appetit aliud, nec averfatur, nisi quod est materiale, sibi conveniens aut oppositum: ergo potentia, quæ fertur in objectum non materiale, nulloque sensu perceptibile, non est materialis, sed spiritualis.

CAPUT

CAPUT II.

Argumenta Contraria.

Contra notionem entis materialis sic statim opponitur: cognitio, qua anima evidenter intelligit, se esse unitam corpori, perpetuam habet connexionem cum ente quanto, & sensibili: ergo hæc esset materialis. Item intellectio producta concurrente phantasmate, habet perpetuam connexionem cum aliquo sensibili: ergo etiam esset materialis. Ad 1. dist. ant. habet connexionem intentionalem con. physicam, ne. ant. & conf. Ad 2. quod ex dicendis melius intelligitur, dist. ant. Talis intellectio habet connexionem aliquam remotam, & quasi effectivam, qualis datur inter effectum & causam, om. sustentativam, inhæisivam, & unitivam, materialitatis characteristicam, ne. ant. & conf. Lux etiam concurrit, & per impressionem oculo factam suo modo causat visionem; nec tamen hæc illi inhæret, aut ab eâ veluti subiecto materiali dependet. Sic etsi visio, aut imago phantastica concurrant ad intellectionem, non tamen propterea hæc ab illis veluti à subiecto materiali dependet.

2. In 7. Synodo Oecumenica fuit approbatus dialogus Joannis Episcopi Thessalonicensis, Angelos esse corporeos asserentis: ergo etiam anima rationalis erit corporea. Ad hoc Resp. verba illius Episcopi approbata quidem esse quoad aliquid, non quoad omnia. Constat ex actis citatæ synodi universalis, quæ fuit 2. Nicæna, Joanni Episcopo fuisse constitutum, contra hæreticos probare, Angelos posse pingi, addita ratione, quod essent corporei: sacram verò synodum eidem quidem assensisse, quoad hoc, quod Angelorum imagines pingi ac honorari possint; rationem verò appositam neutiquam approbasse. Nam in professione Fidei facta ab eadem synodo, præter alia, hæc leguntur: *Veneramus imagines Sanctorum, & incorporeorum Angelorum. Τὸν τε ἀγίον καὶ ἀσωμάτων ἀγγέλων.* Et si fortè quidam SS. Patres Angelos dixerint nonnihil materiales, censendi sunt accepisse materiale pro subiecto perfectibili, quo in sensu solus Deus purè immaterialis est: disputabant enim contra hæreticos asserentes, animam esse particulam Divinitatis simplicissimæ.

3. Potest homo neglectis spiritualibus adhærere solùm bonis sensibilibus: ergo invertendo argumentum, potest inferri, animam hominis esse purè sensitivam. Resp. neg. conf. plus enim non infertur, quàm quod ejus anima sit rationalis simul & sensitiva: rationalis, quia cognoscit bona spiritualia, quæ contemnit; sensitiva, quia potest in corpore frui sensibilibus. Ex eo autem, quod contemptis sensibilibus, quærat spirituales felicitatem & insensibilem, utique bene concluditur, ejus animam non esse purè sensitivam.

4. Licet anima cognoscat entia spiritualia, ea tamen non cognoscit nisi modo materiali, representando sibi Patrem cælestem tanquam senem, Angelum veluti juvenem alatum &c. ergo potius dicenda est materialis quàm spiritualis. Resp. neg. ant. & conf. Proponit quidem phantasia simulacrum aliquod corporeum, sed in eo minimè sistit intellectus, qui hanc imaginem veluti spuriam rejicit, & Deum longè aliter concipit, & affirmat. Sic etsi sensus judicet, Solem vix esse bipedalem, anima tamen modo spirituali affirmat, esse totâ terrâ longè majorem. Id etiam clarum est in eo, qui mentitur; licet enim dicat *ita*, & hæc assertio phantastica etiam interius representetur, mi-

A a a

nimè

nimè tamen affirmat intellectualiter, sed potiùs dissentit, & cognoscit se dissentire, quod est operari modo spirituali. Et hoc in scientiarum demonstrationibus nos ipsi experimur, dum puram veritatem ab omni sensibili & corporeo abstractam intuemur.

5. Intellectus noster in cognitionibus dependet à phantasmate, & dispositione organi corporei: ergo non est spiritualis, sed corporeus. Resp. dist. ant. dependet à phantasmate & organo inchoativè, concomitanter, mediàtè & ratione unionis cum corpore, con. dependet perfectivè, immediatè, & ratione sui, ne. ant. & conf. Principium intellectiōis est communiter à sensibus & phantasmate, juxta illud axioma: nihil in intellectu, quod non fuerit in sensu: sed dein intellectus longè transcendit operationes phantasticas, ut primum vidimus. Quòd autem simul concurrat operatio materialis, inde est, quòd anima, quatenus unita organo materiali, simul operatur modo sensitivo, utpote constituens animal, quod communiter priùs operatur per sensum, quàm per intellectum.

6. Intellectiones fatigant corpus: ergo non sunt spirituales. Conf. Anima recipitur in corpore: ergo etiam operationes animæ omnes. Resp. ne. ant. fatigatio capitis per se non oritur ab intellectionibus, sed per accidens ab adjunctis phantasmatis, quia anima intelligendo simul phantasiatur, & per hoc vel organum corporeum spiritibus exhauritur, vel ejusdem nervuli debilitantur. Intellectiones autem, & alia accidentia spiritualia, uti Gratia sanctificans, characteres Sacramentorum, habitus virtutum supernaturalium &c. quæ in sola recipiuntur anima, corpus minimè fatigant. Ad Conf. ne. vel dist. conseq. recipiuntur mediàtè & per accidens, con. immediatè & per se, ne. conf. si ipsa anima non necessariò connectatur cum corpore, nec connectentur operationes ejus purè spirituales.

7. Quidquid recipitur in materia est materiale; anima recipitur in materia: ergo. Conf. Anima in sui procreatione dependet à subiecto naturæ priori: ergo etiam ejus conservatio dependet à tali subiecto. Resp. dist. maj. est materiale, quod recipitur in materia, tanquam in subiecto sustentationis, inhæSIONis, & adhæSIONis, con. tanquam in subiecto purè informationis, ne maj. & sic dist. min. ne. conf. Ad Conf. dist. ant. dependet à subiecto, tanquam à conditione aut causa morali, con. tanquam à causa sustentante, ne. ant. & conf. Sed unde hoc scitur? Non ex Fide tantum, qua scimus animam à Deo creati, sed etiam ex ipsa natura animæ, quæ, cum per suas operationes se ostendat spiritualement, non potest originem suam à materia trahere; *Quod enim ex carne est, caro est, quod ex spiritu, spiritus est. Joan. 3.*

8. Similitudo immaterialis, ut cognitio Angelica vel Divina, potest repræsentare rem materialem: cognitio finita potest attingere objectum infinitum: actus accidentalis potest ferri in substantiam: Vitalis expressio positiva potest versari circa entia merè negativa: ergo pariter anima materialis poterit attingere objecta spiritualia. Resp. ne. conf. Disparitas primi est, quia licet potentia superior possit attingere objecta inferioris ordinis, non sequitur tamen, quòd vice versa etiam potentia inferior eousque possit se attollere, quousque se attollit superior. Deinde quod est sensibile, est etiam intelligibile; quod autem intelligibile, non hoc ipso est sensibile. Disparitas 2. est, quia infinitum est ens: ergo intelligibile: ergo non est positum extra sphaeram objectorum potentia intellectiva. Contrà verò omne objectum spirituale est insensibile, & purè intelligibile: ergo sicut potentia videns non potest ferri in obje-

objectum invisibile, ita nec potentia purè sentiens in objectum insensibile. Et quamvis finiti ad infinitum nulla sit proportio entitativa, est tamen proportio cognoscentis & cognoscibilis: esto enim Deus infinitus non possit comprehendere cognosci à mente finita, est tamen intentionaliter participabilis finitè, prout potentia intellectiva finita est. Disparitas tertij est, quia imago vitalis non debet esse ejusdem rationis vel naturæ cum objecto vitaliter expressio, v. g. visio non est ejusdem naturæ cum luce & colore, cognitio Angelica cum Deo vel lapide; debent tamen convenire in ratione exprimentis & exprimibilis, ita ut objectum purè intelligibile non possit ullo modo exprimi; nisi à potentia spiritali intellectiva, quæ intrinsecè apta sit, ut intentionaliter transmutetur, & vitaliter rerum omnium formas exprimat: ita sculptor aut pictor potest exprimere objectum visibile, non tamen sonans & audibile. Disparitas 4. est, quia negationes sunt cognoscibiles, saltem enigmaticè per species alienas: ergo non sunt omnino extra sphaeram potentiae intellectivæ.

CAPUT III.

An Anima rationalis sit indivisibilis?

Dicendum: Anima rationalis est indivisibilis. Ita non solum Doctores Catholicos omnes, sed etiam Ethnici post Aristotelem, qui lib. 12. Metaph. textu 55. ait: *Omne non habens materiam indivisibile est, quemadmodum humanus intellectus.* Et hic communis sacrorum & profanorum Doctorum consensus videtur demonstrationem efficere; nec enim sine demonstratione evidenti, aut suasionem naturali interna potuissent ita conspirare.

Nihilominus prob. 1. ex ejus spiritualitate. In adulto non dantur plures partes animæ, quam in puero: ergo eadem animæ pars, quæ prius unam materiam partem informabat, potest reliquas de novo adgeneratas informare & se extendere: quod si fieri possit, non est, cur una indivisibilis entitas animæ non possit per totum corpus se extendere & illud informare. pr. ant. si darentur plures partes in adulto, deberent generari aut creari: non primum, quia substantia spiritalis, ut vidimus, nec generatur, nec à subjecto materiali dependet: non secundum, nec enim videtur, qua ratione Deus posset adungere partes novas animæ prioribus: essentne enim primigenia originis labe infectæ, postquam aliæ jam sunt per Gratiâ sanctificatæ? haberentne characterem baptismalem? aut si priores essent peccatis infectæ, censerenturne posteriores in eadem damnatione? Certè talis homo esset partim justus, partim peccator, simul mereretur laudem & vituperium, posset & non posset puniri. Si dicas, partes simul esse creatas, quæro, utrum penetrari possint, vel non? Si non, essent quantitativæ: ergo non spirituales. Si primum, posset anima intendi in eadem parte subjecti: sed ad quid, & quomodo? Rursus si substantia spiritalis posset componi ex partibus unitis & penetratis, non esset ratio, cur ex duobus Angelis non posset fieri unus, aut ex uno plures, quæ omnia, quàm absurda sint, nemo non videt.

Prob. 2. Ex ejus intelligendi potentia: Si potentia intelligens esset divisibilis, vel omnes illius partes cognoscerent aliquod objectum indivisibile, v. g. Deum, vel tantum una? si una tantum, ergo aliquæ nihil agerent, nihil cognoscerent, sed essent frustra. Si omnes? vel intellectio esset divisi-

A a a a

bilis,

bilis, vel indivisibilis? si divisibilis: ergo idem objectum à singulis partibus repræsentaretur totum, nec tamen melius cognosceretur; plures enim cognitiones non faciunt unam perfectiorem, si sint in diversis objectis; sicuti plures homines habentes similem omnino cognitionem, non dicuntur perfectius, sed per plures tantum cognitiones intelligere, quam unus: ac proinde talis intellectus haberet partes ad intelligendum inutiles. Si indivisibilis, & tamen elici possit ac recipi in multis partibus realiter distinctis, à fortiori ipsa potentia, & substantia intellectiva recipi poterit in pluribus partibus corporis, licet sit indivisibilis: ergo &c.

Prob. 3. ex ejus libertate: Anima rationalis est libera, uti Fides & experientia docet, atque alibi ostendetur: ergo est indivisibilis. Prob. conf. si enim haberet partes, vel singulæ essent liberæ, vel una tantum, vel solum integra collectio? non ultimum, quia implicat, illud aggregatum esse liberum, cujus pars nulla potest liberè operari, sicut ille Senatus non est liber, cujus nullum membrum potest liberè agere. Non una tantum, quia hæc sola esset anima rationalis completissima, potens intelligere, discernere, eligere, præmiari. Non plures, vel singulæ, quia possent elicere actus oppositos, una bonum eligere, altera malum, constituere hominem simul præmio & vituperio dignum, quo nihil absurdius.

Dices tamen 1. Nullum ens potest moveri motibus contrariis, dum manus una sursum fertur, altera deorsum, anima indivisibilis moveretur motibus contrariis: ergo. 2. Si anima est indivisibilis, tunc abscisso pede ad reliquum corpus revertitur; non potest autem reverti ad locum ubi jam est: ergo. 3. Frustum carnis abscissum potest denuo uniri & animari; hoc fieri non potest per priorem animam indivisibilem, tum quia aliàs naturaliter possibilis esset resurrectio, tum quia à privatione ad habitum non datur immediatè regressus. 4. Forma respiciens subiectum divisibile & ipsa divisibilis est; anima respicit subiectum divisibile: ergo. 5. Si entitas indivisibilis potest totum corpus occupare, non est ratio, cur non possit adhuc majus spatium occupare: ergo majus & majus in infinitum, quod est contra rationem entis limitati.

Resp. ne. mi. nec enim anima jactando brachia fertur extra suum spatium adæquatum, sed tantum acquirit aliam ubicationem, & alium situm in loco sibi adæquato procurat: ad motum autem propriè contrarium requiritur, ut res secundum se tota feratur in spatia opposita derelicto priori centro. Ad 2. ne. maj. tunc enim propriè reverteretur anima, si ad locum vel subiectum, unde prius per verum motum localem exierat, rediret; hoc non facit in casu nostro anima, sed tantum cessat ab informatione pedis amputati, & minorem sortitur ubicationem; ergo propriè non retrocedit. Ad 3. multi negant maj. si frustum fuit omnino abscissum, & nullò modò continuum. Quod si tamen illud possit experientiâ probari, tunc negatur minor: nec propterea daretur resurrectio, quia frustum illud non fuit subiectum adæquatum animæ. Similiter distinguitur axioma subjunctum: à privatione totali non fit immediatè reditus ad habitum, con. à privatione solum partiali, negatur. Ad 4. dist. maj. si illud respiciat, tanquam aliquid, à quo suum esse habeat, om. vel con. si præcisè illud respiciat tanquam terminum, aut subiectum informationis, nego. Deus ipse indivisibilis unitur naturæ divisibili in Christo. Ad 5. ne. seq. uti enim corpus certum & sibi convenientem magnitudinis terminum extigit: ita & anima, quæ illud informat, certam extensionem; nec extra illud,
uti

ut nec Angeli se in infinitum possunt extendere: quamvis enim possunt plus & minus, non tamen in immensum, cum sit contra rationem entis limitati non habere terminum.

CAPUT IV.

Utrum Anima rationalis sit immortalis?

TRiplex est immortalitatis genus: Primum essentiale, alterum naturale, tertium gratuitum & accidentale. Primum est, quod importat omnimodam necessitatem existendi, cujusmodi est una ac sola immortalitas Divina. Alterum est, quo res aliquando producta exigit semper conservari. Ultimum est, quo res, quæ per se naturaliter destrui potest, conservatur in æternum, idque propter extraordinarium, & naturæ indebitum decretum Divinum. Quod anima rationalis non sit primo modo immortalis, est evidens: quod autem sit immortalis uno ex sequentibus, est Fide certum. Sic Christus ait Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, & cap. 25. Discite à me maledicti in ignem eternum: & ibunt hi in supplicium eternum, iusti autem in vitam eternam.* Eadem veritas definita est in Conc. Lateran. sub Leone X. de qua proinde nullus Catholicorum dubitat. Restat igitur inquirendum, utrum hæc immortalitas ex ipsa animæ rationalis natura colligi possit, & naturaliter cognosci atque demonstrari.

Dicendum: Anima rationalis est naturaliter immortalis. Ita Doctores communiter. Prob. 1. Auctoritate Script. nam Sap. 2. de negantibus animæ immortalitatem sic concluditur: *Hæc cogitaverunt, & erraverunt, excæcavit enim illos malitia ipsorum.* Et cap. 3. de iustis dicitur: *Visi sunt oculi insipientium mori, & quod à nobis est iter, exterminium.* Nullus autem est cæcus & insipiens, nisi qui non videt & agnoscit lucem & veritatem manifestam: ergo veritas est manifesta, quod anima nostra sit immortalis. Conf. 1. ex Conc. Later. citato, quod non tantum asserit, animam esse immortalem, sed etiam dicit, temerè philosophari, qui contrarium dicunt: ergo etiam secundum veram Philosophiam, & principia naturalia evinci potest, animam rationalem esse immortalem. Conf. 2. quia Viri quique sapientissimi asserunt, veritatem hanc sibi esse naturaliter perspectam, qua de re videri potest S. Thom. Suarez, Lessius, Fabri &c. sed nos ipsi ad rationes procedamus; quarum aliæ sunt morales, aliæ physicae.

Prob. itaque 2. argumento morali: quod S. Clemens Rom. lib. 3. Recognitionum accepisse se narrat ex ore S. Petri, & his verbis eleganter complexus est S. Chrysost. serm. 4. de providentia contra illos, qui asseriebant animam cum corpore interire. *Si nihil est, inquit, post hanc vitam; igitur neque Deus est. Nam si Deus est, iustus est; si iustus, juxta merita unicuique distribuit. At si nihil est post hanc vitam, ubinam accipient singuli pro meritis? Etenim multi hinc bene se habent, honoranturque, pravi cum sint: alii affliguntur, cum iustitiam colant. Quare si post hoc nihil est, migrabunt iusti affecti injuriâ, & iniusti immerita felicitate potientur. Quod si nemo accipiat, quæ meritis est, igitur Deus iustus non est, & si iustus non est, Deus non est. Igitur necesse est, tempus esse post hanc vitam, quo singuli sint juxta merita accepturi.* Ita os aureum Chrysostomus, quasi vellet dicere, quam

A a a 3

evidens

evidens est dari Deum, tam evidens est animam post mortem hominis esse superstitem: prius est evidens, ut ostendemus Contempl. seq. ergo.

Conf. 1. à P. Lessio. Illud dogma evidenter non est fabulosum, quod est unum è primariis virtutum, & totius honestatis fundamentis, summèque necessarium, ut homines vivant secundum rectam rationem naturalem; talis est veritas & cognitio de immortalitate animæ: ergo. Maj. non potest rationabiliter negari; sicut enim natura & ejusdem Auctor non defuit in aliis, v.g. in brutis, in suppeditandis mediis ad ducendam vitam animæ suæ convenientem necessariis, ita & multò minùs defuit hominibus. Min. quoque patet ab experientia, quâ videmus, quòd sola hæc veritas plerosque impellat ad fugienda vitia, virtutesque sectandas, ut adeò S. August. ipse lib. 6. Conf. c. 1. fateatur: *Nisi credidissem, post mortem restare vitam, Epicurus palmam in meo animo occupasset.*

Conf. 2. Evidenter vitium non est virtus, nec virtus vitium; hoc esset, si anima interiret cum corpore: ergo. prob. min. fortitudo, quâ quis pro patria, pudicitia, religione, Deo mortem oppetit, est virtus; sed hæc esset vitium: nam virtus est dispositio perfecti ad optimum, sive est qualitas, quâ potentia rationalis rectè disponitur ad supremum suum bonum, ad ultimum finem; vitium est dispositio perfecti ad pessimum, seu qualitas, per quam potentia rationalis avertitur à supremo suo bono, & sine ultimo; sed fortitudo maximè averteret animam à suo bono & ultimo fine: quia id, per quod anima perdit omne bonum, maximè avertit animam à suo bono; sed per actum fortitudinis anima perderet omne bonum; perderet enim totum esse. Contrà vitium esset virtus, quippe si anima periret cum corpore, summum homini malum foret mors, per quam perduntur omnia: ergo ut mors evitetur, honestum erit amicitiaæ foedera negligere, fidem datam negare, mentiri &c.

Conf. 3. Implicat, ut persuasio constans & universalis totius generis humani sit fallax, utpote quæ indita est ab Auctore naturæ, quem implicat errorem universalem immittere, præsertim in re gravissimi momenti; talis est persuasio de immortalitate animæ, non apud Christianos tantum, sed etiam apud Judæos, & omnis generis Infideles, Chaldaeos, Ægyptios, Persas, Indos &c. ut ostendit Origenes, Seneca, Cicero, & omnes penè Philosophi & Historici, tam sacri, quàm profani: hinc enim magnifica Majorum sepulchra, hinc honor Defunctis post mortem habitus; hinc studium commune, quo parcimus illorum famæ; hinc naturalis horror, quo nolumus soli cadaveribus hominum assistere, etsi cadaver bruti non horreamus; hinc appetitus perennis gloriæ & beatitudinis.

Roboratur hoc argumentum à P. Segneri, quia, qui contrarium asseruere, fuerunt paucissimi, homuli, ut Cicero loquitur lib. de senect. ex luto & coeno compacti, vitiis immergi, qui credebant, aut credere volebant, quod optabant: per se autem absurdissimum est, arcanum mortalitatis animæ solis sceleratissimis esse manifestum, & omnibus bonis, sapientissimis, & virtutum, gloriæq; Divinæ sectatoribus esse absconditum: ergo evidens est, inter hæc duo judicia posterius falli, non autem prius. Addunt alii, quòd omnes appetamus quietem & tranquillitatem, quam in hac vita miseriis plena obtinere non possumus: ergo ex naturæ stimulo intelligimus superesse aliam. Hinc S. Aug. *Fecisti nos Domine ad te, & irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in Te.*

Prob. 3. Argumento physico: Anima rationalis est substantia spiritualis & indi-

indivisibilis, ut ex hactenus dictis constat: habet potentias inorganicas, uti sequitur ex prioribus; eo enim ipso, quod operetur spiritualiter, illius talis operatio non dependet ab organo corporeo; scrutare etiam omnia corporis humani organa, invenies quidem sensum, tam internorum quam externorum organa, quæ etiam brutis communia sunt; aliud autem speciale intellectivum, aut volitivum non reperies: ergo hæc vis operandi spiritualiter, & attingendi objecta purè spiritualia in ipsa residet anima: & argumenta moralia superius allata hoc confirmant; dum enim ostendunt, animam post mortem esse superstitem, evincunt etiam, illam posse post mortem operari; his autem suppositis ostendo illam esse immortalem.

Si anima post mortem aliquando interiret, tunc interiret vel ex defectu subjecti, vel ex defectu finis, vel ex defectu causæ producentis aut conservantis, vel propter exigentiam alicujus contrarii; ex nullo capite potest interire: ergo. Maj. patet, quia non est alius modus naturaliter intereundi: sic tamdiu manet naturaliter lux aut calor, quamdiu nec deficit subjectum, nec finis, nec causa conservans, nec adest contrarium. prob. mi. Imprimis non interit ex defectu subjecti, uti animæ brutorum, cum à nullo subjecto dependeat, utpote substantia purè spiritualis: non ex defectu finis, uti species erroneæ cessant in Beatis; cum anima habeat potentias inorganicas, & possit extra corpus intellectiones & volitiones, operationes nobilissimas exercere, propter quas primario creata est, ut Deum suum cognoscat, amet, & laudet: Non ex defectu causæ conservantis, quia hæc est solus Deus, qui deficere non potest: Non propter agens contrarium, quale enim esset istud? potest quidem ab agente contrario destrui corpus, & inde expelli anima, quæ ibi non amplius haberet finem sensationum & vegetationum; at verò immediate ratione sui non habet contrarium; cum enim in se ipsa sit simplex & indivisibilis, nec dependeat in suo esse à subjecto, quod destrui potest, certè nec potest dividi, nec discerpi, nec distrahi, sed duntaxat annihilari: hoc autem non potest agens creatum, cum anima dependeat à solo jugi influxu causæ primæ: ergo anima nullum habet corruptionis principium: ergo naturaliter immortalis est. q. c. o.

CAPUT V.

Argumenta contraria.

Primum petitur ab Auctoritate, tam sacra quam profana. 1. Eccles. 9. dicitur: *Mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* Et cap. 3. legitur: *unus interitus est hominis & jumentorum.* 2. 1. ad Timoth. 6. legitur, solum Deum habere immortalitatem, 3. In synodo Constantinop. 6. universalis, approbata est epistola Sophronii docentis, animam rationalem & Angelos, non per naturam, sed per Gratiā Dei esse immortales. Denique Philosophus negat immortalitatem animæ, uti testantur, præter Aristoxenum, & Dicearchum Aristotelis ipsius Auditores, Theodoretus, Origenes, Gazæus, Cajetanus &c.

Ad 1. respondet S. Th. 1. p. q. 75. Verba illa esse prolata in persona delirantium. Resp. tamen alii, illis sermonem non esse de morte animæ, sed
totius

totius compositi: immortalitas enim animæ in Script. passim asseritur. Ad 2. S. Paulus intelligendus est de immortalitate essentiali. Ad 3. citata Synodus agebat contra hæreticos, qui Angelos & animas rationales ita asseriebant esse immortales, ut nec incipere, nec desinere unquam possint, quod utique est erroneum, & repugnat supremo Dei in res omnes dominio. Quod id per naturam intelligat Sophronius, satis indicant verba sequentia: *proprie immortalem habentes essentiam.* ut apud Harduinum legitur. Igitur nomen Gratiæ in verbis Sophronii sumendum est latè pro quolibet favore naturali; quod enim Deus possit absolute animas destruere, istudque non faciat, gratia est, non tamen supernaturalis, quia posita animæ existentia naturaliter consequitur; est igitur animæ conservatio continuatum beneficium creationis. Ad ultimum, multi sunt, qui vindicent Philosophum, ex ejus discipulis quidem Theophrastus, & Themistius, ex Interpretibus Philipponius, Avicenna, S. Thomas, Albertus &c. videri potest Toletus. Certè jam ante Arist. hanc immortalitatem asseriebant Philosophi Ethnici, nam Cicerone teste, *Plato multa dicit de immortalitate animarum, & reliqua post mortem tranquillitate Bonorum, poenis impiorum.* 2. de Leg. Et ante Platonem & Pythagoram Pherecides, Syrus idem docuit. 1. Tusc.

2. Virtus sola est sibi sufficiens præmium, & inordinatus animus est sibi ipsi tormentum: ergo non opus est alio præmio, aut supplicio post mortem. Resp. ne. ant. Est enim de ratione & natura præmii, ut alliciat potius, quam ut deterreat, & est de ratione supplicii, ut absterreat potius, quam alliciat: evidentissimum autem est à posteriori, quod nuda virtus ob arduam annexam, homines ad corporeas illecebras summe propensos, ab amore & prosecutione sui potentiùs absterreat, quam alliciat; & e contra, quod vitium ob congenitam sibi voluptatem sensibilem ad se magis invitet, quam à se repellat: ergo neque virtus potest esse sufficiens naturaliter præmium, neque vitium sufficiens supplicium. Et hanc veritatem evidentem facit omnium Nationum consensus, quæ in omni republica sapienter ordinata præmia decernunt bene meritis, & supplicia improbis, patibula scilicet, enses, rotas. Et quamvis turpitudine vel honestas actionis aliquos moveret ad bene agendum, sapiens tamen legislator providet de viis & rationibus, quæ possint totam movere communitatem ad observandas ejus leges, inter quas sunt maxime præmia & supplicia; hinc est, quod Deus in Sacris Litteris illa toties proponat aut minetur, & ipse S. Propheta Regius inclinavit cor suum ad faciendas justificationes propter retributionem.

3. Posset dici, ad hunc finem sufficere, si anima aliquamdiu post mortem conservetur, poenas scelerum datura, vel potitura virtutis præmio: ergo necdum probatur immortalis. Conf. non potest ostendi, quod anima naturaliter promereri possit præmium æternum: ergo non potest ostendi, quod æternum conservetur, quia cessante fine præmii, cessat conservatio. Resp. om. ant. ne. conf. hoc enim ipso, quod ostendatur animam esse post mortem saltem ad tempus supersutem, & potentem operari, tunc argumento physico ejus immortalitas evincitur, etsi solo argumento morali nondum satis demonstraretur.

Ad Conf. dist. ant. quod possit mereri præmium æternum propter jus præcisè morale fundatum in meritis purè naturalibus, om. propter jus morale simul & physicum fundatum in perpetua aptitudine ad operandum naturaliter, ne. ant. & conf. quia finis conservationis perpetuæ non est tantum adeptio præmii, sed etiam operatio. Omisi ant. ajunt enim multi, quod merces ultima Bonorum debeat respondere, tum dignitati conferentis, tum appetitui inna-

innato recipientis; hæc autem alia non est, nisi vera beatitudo, quæ talis non est, nisi fixa sit, & omnem miseriam excludat; si autem haberet finem, eò inferior foret Beatorum conditio, quò felicior esset eorum status: sicut enim finis, quem præstolamur in malis, est præsens in malorum perpessione solatium, ita finis, quem timemus in bonis, est præsens in eorum possessione tormentum. Deinde Beatus non posset se conformare voluntati Divinæ ex amore Dei, cum repugnare videatur, ut quis amore Dei velit per totam æternitatem illo carere. Similiter poena propter offensam Majestatis infinitæ non videtur habere proportionem & sufficere, nisi sit æternæ; siquæ hæc lumine Fidei cognita necdum sufficienter peccatores absterret, quanto minus absterret, si foret temporalis tantum.

Dices tamen; hæc argumenta probant ad summum, quòd anima post mortem debeat saltem supernaturaliter conservari, neutiquam verò naturaliter: ergo non evincitur, quòd sit naturaliter immortalis. Resp. ne. ant. cum enim hæc conservatio fundetur tum in exigentia ipsius substantiæ habilis ad operandum, tum in exigentia naturali alicujus præmii. ipsa etiam conservatio naturalis est, seu deinde præmium naturale superveniat, sive supernaturale.

4. Quod potest contraria recipere, potest naturaliter destrui; anima recipit contraria, actus amoris & odii, affirmationis & negationis: ergo. Conf. 1. Quod sit ex subjecto, perit tandem & redit in subjectum: ergo quod sit ex nihilo, naturaliter etiam redire potest in nihilum. Conf. 2. Anima à Deo creatur naturaliter: ergo etiam annihilari potest naturaliter. Resp. id quidem posse perire, quod recipit sibi contraria, non tamen quod recipit duntaxat contraria inter se. Tales igitur actus, etsi sint inter se contrarii, non tamen contrarii sunt animæ: sicuti qualitas frigoris & caloris, etsi sint inter se contrariæ, non tamen sunt contrariæ quantitati & materiæ. Ad Conf. 1. ne. conf. quòd enim sit ex subjecto, pendet ex illo; ergo si subjectum destruat, aut recipiat contraria, unionem destruentia, quod ab ipso pendet, pereat necesse est: quod autem sit ex nihilo per creationem, pendet à solo Deo, proinde non est, cur ex hoc capite potius isto, quam alio tempore pereat. Ad 2. ne. conf. Creatio animæ fit ad exigentiam naturæ à Deo ordinatæ; annihilatio talem exigentiam habet nullam: ergo prior potest fieri naturaliter, non autem posterior.

5. Cognitio & volitio sunt entitates spirituales, quæ naturaliter pereunt: ergo etiam anima, etsi spiritualis sit, adhuc tamen naturaliter interire potest. Resp. dist. ant. sunt entitates spirituales, accidentales, con. substantiales, nego antecedens & conf. substantia spiritualis est ens per se subsistens, accidentia sunt entis entia: non ergo mirum, si prior deficere non possit, cum à solo Deo omnipotente, & nunquam deficiente pendeat, licet deficere possint posteriora, quæ pendet etiam à causa creata, quæ, cum virtutis sit limitata, non valet continuè tot actus, tamque diversos producere & conservare: unde possunt perire tum ob contrarium, tum ex defectu causæ & finis, quod in anima locum non habet.

6. Si anima posset operari spiritualiter, quin ejus operatio immediate dependeat à phantasmate, aut organo corporeo, se ipsam cognosceret perfectè, cum sit objectum præsens, quod omnimodam cum ipsa proportionem habet; hoc non potest: ergo. Ad hoc argumentum, quod difficultate non caret, respondet P. Tournemine negando, vel dist. min. hoc non potest

B b b

per

per accidens con. per se, ne. min. & conf. Nempe juxta ipsum, etsi anima se ipsam intuitivè videat, nihilominus imperfectè cognoscit; cum enim in anima vis intelligendi finita sit, quò pluribus illa objectis applicatur, eò respectu singulorum debilior est, juxta illud: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*. Præterea, cum ex una parte anima objectum sit quoque finitum, quod non valet animi attentionem ita figere & occupare, ut in alia non distrahatur: ex altera verò fiant in corpore, cui unitur, mutationes innumeræ, atque impressiones continuæ in sensibus externis & internis, quas necessario percipit anima; idearum, quæ inde resultant, turbæ continuo dividunt & impediunt animum ab attentione, & perfectæ sui unius cognitione: eo ferè modo, quo quis per importunam molestantium turbam à seria veritatis contemplatione impediatur. Alii negant maj. Licet enim anima seipsam cognoscat, & metaphysicè certa sit de sua existentia, juxta illud Cartesii principium: *cogito; ergo sum*. Nihilominus se ipsam perfectè & intuitivè non cognoscit, quamdiu corpori unita est, & immersa; per hoc enim ejus vires retunduntur plurimum, tum in ordine ad cognitiones, tum in ordine ad potentiam loco-motivam, & alia: cognitionem enim substantiæ intuitivam non concessit Deus animæ, quamdiu viatrix est, ut per actus Fidei meritorios exerceretur melius; quamprimum autem liberata erit, ut loquitur Apostolus, de corpore mortis hujus, suas etiam vires exeret potentius. Interim tamen certi sumus de ejusdem cognitione abstractiva, & operationibus spiritualibus, ut patet ex dictis.

CAPUT VI.

De Anima intelligente.

Potentias animæ solum formaliter distingui, alibi ostendimus: anima igitur, prout est potentia intellectiva, aliud non est, quam virtus cognoscitiva spiritualis, quæ si feratur in res præteritas, memoria nuncupatur. Communiter intellectus juxta Peripateticos dividitur in agentem & patientem seu passibilem. Agens dicitur eatenus, quatenus in se producit species impressas intelligibiles ac spirituales illius objecti, quod antea sensu perceperat, & per istas fortè etiam alias circa objecta alia. Pater dicitur intellectus, quatenus elicit, & recipit in se cognitionem spiritualem.

Hæc cognitio seu intellectio est qualitas aliqua spiritualis, ab intellectu creato separabilis & realiter distincta, quæ sit vitalis quædam expressio, & intentionalis imago objecti cogniti, ut per se manifestum videtur. Patet insuper ex notione vitæ superius tradita, quòd qualitas illa debeat procedere ab intelligente, ac eidem uniri: & hoc utrumque fit probabilius per actionem & unionem ab intellectu indistinctam, ut tradit Arist. 9. Metaph. T. 16. ubi ait: *Quorum non est aliud quoddam opus præter actionem, in ipsismet actio est, ut visio in vidente, & speculatio in speculante*. Ratio omnium optima est negativa, quia nulla est necessitas distinguendi intellectiōem ab actione; actio autem est sui ipsius unio: ergo. Variæ porro cognitionis divisiones habentur ex Logica.

Quoniam verò rerum objecta minimè sunt intellectui semper præsentia, aliud requiritur, quod eorum vices gerat, & intellectum ad ipsorum cognitionem determinet. Negotium hoc juxta communem Peripateticorum sic procedit:

dit: Postquam sensus externus v. g. oculus percepit objectum, illud simul & sensationem externam percipit phantasia, uti Consid. præc. explicatum est. Mox deinde eadem phantasia objecti à se cogniti, suæque propriæ cognitionis speciem, quæ phantasma dicitur, intellectui offert, qui unâ cum hoc phantasmate materiali aliam speciem impressam spiritualem & intellectualem talis objecti producit; & hoc faciendo, intellectus agens dicitur. Tandem per hanc speciem intellectualem elicit intellectus ipsam objecti cognitionem spiritualem, quæ in intellectu recepta, illum patientem seu passibilem denominat. Deinde hæc intellectio spiritualis speciem sui rememorativam itidem spiritualem, & semper in intellectu persistentem post se relinquit, ut anima etiam recordari possit intellectio-num præhabitarum, tam in hac vita, quam post mortem, juxta illud S. Hieron. *Discamus in terris, quorum scientia nobiscum perseveret in cælis*. Tum deinde per varias specierum combinationes, varias quoque cognitiones elicit anima.

Et si porro hujusmodi species spirituales incorruptibiles sint, animæque præsentis semper & unitæ, non tamen actu ad objecti cognitionem concurrunt ac determinant, nisi excitentur; sunt enim multo tempore velut otiosæ, atque indifferentes, ut ad cognitionem concurrant, vel non: hinc indigent aliquo determinante, ut actu operentur; quod ubi datur, species excitatæ dicuntur: qua ratione verò id fiat, ita incertum est, ut Oviêdo asserat, hoc maximum esse totius Philosophiæ sacramentum, nunquam ab aliquo satis explicandum. Porro ad vitandam confusionem, distinguendum est inter statum animæ præsentem, & statum separationis; diversa est enim utriusque ratio.

Et quidem in statu separationis species intellectuales ab anima rationali plerumque excitantur per imperium voluntatis, uti explicat P. Maurus lib. 5. q. 34. ubi tam de Angelis, quam de anima rationali sic loquitur: *Censeo, quod Angeli & anima separata semper habeant præsentis omnes species cognitione quadam confusa, eo pacto, quo ego possum videre centum homines, ita ut non cognoscam, qui sint, distinguam tamen aliquantulum unum ab alio per locum, ita ut possim oculum figere, in quemcunque voluero. Proportionaliter Angelus cognoscit omnes species aliquantulum cognitione confusa, & potest figere intellectum in contemplationem speciei & objecti, quod valuerit: dum verò vult contemplari unum potius, quam aliud objectum, per istum actum voluntatis, quasi per motum quemdam intentionalem convertitur ad illud objectum contemplandum, eo pacto, quo oculus per motum localem convertitur ad contemplandum unum hominem. Ad cognitionem ergo confusam determinatur ab ipsa existentia specierum, quæ cognitio est veluti potentialis: ad contemplationem distinctam determinatur à motu intentionali per actum voluntatis, vel potest determinari à causa extrinseca, & à Deo, qui ita determinet ac si adesset in Angelo actus voluntatis. Ita ille.*

Loquendo jam de statu præsentis animæ rationalis in hac vita, communiter dicunt, species intellectuales excitari per excitationem specierum phantasticarum, quæ habentur circa idem objectum: qua verò ratione species phantasticæ excitentur, colligi debet ex dictis de sensibus internis. Sive autem hujusmodi species consistant in solo motu nervulorum & spirituum animalium per varias cerebri rimas & cellulas, sive sint qualitas distincta in organo cerebri recepta, negari tamen non potest, quin per motum & affluxum spirituum excitentur: id autem fieri potest vel casu, vel à causis necessariis per commotionem humorum, vel per alterationem ex nimio calore, ut in feбри calida, vel à causis liberis, uti est Deus, & Angeli boni vel mali, qui per talem spi-

rituum commotionem in nobis excitare possunt cogitationes bonas vel malas; vel ex imperio animæ volentis se impensius ad considerationem distinctam rerum antehac à se cognitarum applicare, ad quam applicationem supponitur confusa quædam earundem rerum cognitio, quæ per hoc habetur, quod spiritus & species sint quidem in aliquo, non tamen in sufficienti ac satis distincto motu: vel denique per aliud determinans extrinsecum, audiendo vel videndo rem similem, cujus species exciter aliam similem aut vicinam &c.

Neoterici hac in parte inter se divisi sunt: qui mitius sentiunt, in quibusdam conveniunt cum Peripateticis, in aliis discrepant. Discrepant in hoc, quod imprimis nullam speciem materialem impressam admittant; nam sola impressio facta à corpore sensui externo, sola deinde hujus impressionis per motum nervorum & spirituum ad sensum internum propagatio sufficit ad sensationem & perceptionem eliciendam: cum enim anima sit illis organis unita, percipit illa, quid in illis agatur; & per actum, quem elicit, cognitionem habet aliquam illius objecti, à quo processit impressio. Deinde cum hæc prima cognitio sit intimè præsens animæ, utpote quæ ab illa elicitur, atque etiam in illa recipitur, potest anima sine alia specie phantastica, per actum intellectionis nobiliorem, imaginem representatam ulterius contemplari, examinare, & perfectiores rerum ideas efformare. Sicuti posita cognitione boni, potest anima illud velle, sine alio complemento ad volendum necessario. Intellectus igitur fit agens & patiens per intellectionem, quam elicit & recipit; non per speciem aliam à phantasmate materiali simul productam, & animæ impressam. Ex his dein ideis, vi, quæ pollet, spirituali potest alias connexas deducere ac elicere, quales sunt inter effectum & causam, antecedens & consequens &c. inde enim cognoscit suam existentiam, indagat rerum causas, proprietates, & affurgit usque ad cognitionem Dei, velut causæ omnium prima. Potest etiam potentias subordinatas sensuum externorum & internorum applicare, ut novas rerum ideas hauriat, atque ex istis alias innumeras efformet. Recole hic iterum, quæ dicta sunt de unione & sensibus internis. Conveniunt ergo isti cum Peripateticis in hoc, quod admittant veram intellectionem distinctam, ab anima spirituali productam, neque facile negabunt species rememorativas spirituales per intellectionem animæ impressas, cum etiam juxta ipsos anima separata eorum recordetur, quæ acta sunt in vita: & certè magnum est in damnatis tormentum recordari tot occasionum & Gratiarum, quibus potuissent sibi salutem procurare, si voluissent. Quoad excitationem specierum, si materiales excipias, quibus substituunt organorum motum, conveniunt in explicatione superius data.

Quidam verò Atomistæ ultra modum à Peripateticis dissentiunt; cum enim nullum ens aliud agnoscant, nisi substantiam, spiritum nempe & materiam, qualitates omnes velut chimericas rejiciunt, etiam spirituales, imò & supernaturales; adeoque intellectio, volitio, Gratia sanctificans, Character sacramentalis &c. aliud nihil sunt, quam animæ modificationes: qua verò ratione spiritus taliter modificari possit, neque aliis possunt explicare, nec ipsi intelligere; multò minùs, quo modo se ipsum modificare possit, quin producat ens aliquod novum. Et tamen juxta vera Fidei, rationis, & experientię principia certum est, animam non esse velut inanime quoddam, quod passivè tantum se habeat, sed revera agere, ac per actus suos mereri posse ac demereri. Unde via hæc periculosa est, & ducit ad præcipitium, adeoque tutior eligenda.

Habi-

Habitus Intellectuales.

Scientiæ & artes definiuntur per habitum: explicandum ergo est, in quo physice consistat ejus natura. Habitus naturalis definitur à Peripateticis, qualitas permanens dans potentia facilitatem ad operandum; quid autem nomine qualitatis hujus intelligatur, non ita clarum. Dari tamen habitus certum est ab experientia, qua constat, nos per frequentatos actus tam intellectus, quam voluntatis circa aliquod objectum acquirere magnam facilitatem, eamque stabilem ad similes actus circa idem objectum eliciendos. Hoc testatur Philosophus 2. Ethic. 1. ubi ait: *Sicut ædificando ædificatores, citharizando citharædi, ita iusti agendo iusti, temperantia temperantes, fortia fortes evadimus.* Jam quæritur, unde hæc facilitas oriatur?

Sunt aliqui, qui præter species & alia superius enumerata, qualitatem addunt distinctam, quæ per modum comprincipii potentiam juvet; at hæc qualitas videtur inutilis & superflua: inutilis quidem, quia hæc qualitas sine illis nihil potest agere; superflua verò, quia illis positis potentia sufficienter juvatur. Quare alii post Doctorem Angelicum, habitus naturales intellectus non distinguunt à speciebus ritè inter se ordinatis, firmiter impressis, ac crebriori exercitio roboratis. Nam species istæ, cum sint per plures actus multiplicatæ, ac frequenti exercitio tam in speculatione, quam in praxi roboratæ, & ritè etiam ordinatæ, facile ac ordinatim excitari possunt, ita ut imprimis intellectui clarè veritatem proponant in speculatione; in praxi verò distinctè ostendant, quo quælibet pars operis ordine ponenda sit. Intellectus igitur his instructus facilius in scientiis demonstrationes assequitur, in artibus comprehendit regulas, & ad opus, si quod faciendum est, artificem dirigit, adeo ut ad constituendum habitum aliud non requiratur. Altera facilitas, quæ residet in potentia exequenti, ut in manibus & digitis citharædi, & quæ etiam per frequens exercitium acquiritur, non constituit habitum intellectualem, sed duntaxat potentiam exequentem juvat, non enim per raucedinem habitum amittit musicus, sed in cantu tantum impeditur.

Recentiores in hoc omnino conveniunt, quod nulla detur qualitas superaddita constituens habitum; in eo tamen discrepant, quod de speciebus aliter loquantur. Nam in hac vita, quamdiu anima est unita corpori, sufficiunt illi ad primas cognitiones motus & affectiones organorum; ad secundas verò, nempe reflexas & deductas, sufficiunt primæ: proinde facilitatem illam, quam parit habitus, ex eo potissimum repetunt, quod organa interna sint ritè ordinata & composita: sicut enim facilitas illa in potentia externa, ut mira agilitas in manu citharædi, oritur ex frequenti nervorum extensione, inflexione, varioque partium motu; ita etiam organa sensus interni mobilitatem suam acquirunt, tum ex frequenti ejusdem objecti per sensus externos communicata impressione, tum ex vi animæ intrinseca, quæ illa sæpius movet & applicat, ut objectum confusè cognitum, melius cognoscat, & intelligat: his enim indiget anima, etiam in sententia superius explicata, tum ut rerum imagines excipiat, tum ut illarum species excitet; si enim hæc organa implicentur, ut in ebrio; vel malè afficiantur, ut in ægroto; vel exhauriantur, ut in inedia; vel à natura sint ita stupida, ut ad motus necessarios inepta sint, anima vix, aut omnino non, nedum facile operari potest. Igitur habitus iste principaliter residet in intellectu, potente organis uti, & unam cognitionem ex alia dedu-

cere; instrumentaliter verò in debita organorum interiorum dispositione: quoad executionem verò, ubi prodit opus externum, facilitas habetur per ipsam potentiae exequentis dispositionem.

C A P U T VII.

De Anima Volente.

Voluntas rectè dicitur potentia spiritualis appetitiva, per quam definitionem differt, tum ab intellectu, qui formaliter non est appetitivus, tum ab appetitu materiali, communi homini & brutis, qui non est spiritualis. Objectum voluntatis est bonum vel malum cognitum: bonum, quoad actus prosecutionis; malum, quoad actus fugæ & averfionis. Dari talem potentiam, notum est ab experientia. Quæ moralia sunt circa hanc potentiam, & ejus objectum, uti est bonum, malum, libertas &c. pertractabuntur inferius; quod propriè physicum est, superest hic explicandum. Quæstio præcipua est, in quo habitus naturalis voluntatis boni vel mali v. g. habitus temperantiæ, mansuetudinis, vindictæ consistant? Et quidem ab ipsis etiam Peripateticis communiter negatur qualitas superaddita, quæ habitum constituat, cum reliqua nunc explicanda sufficiant.

Igitur juxta ipsos, habitus naturales voluntatis acquisiti non distinguuntur à speciebus intellectualibus modificatis tum directis, tum rememorativis. Per directas intelligunt illas, quæ directè proponunt bonitatem aut malitiam alicujus objecti; per rememorativas, quæ repræsentant perceptam delectationem aut molestiam, honestatem vel turpitudinem, quam hausimus olim ex actibus voluntatis circa tale objectum elicitis & frequentatis; & has omnes species dicit habitus in recto: ut autem sint modificatæ, requirit insuper in obliquo, ut species istæ faciliè excitari possint, item ut detur negatio specierum stabilium fortius trahentium voluntatem in contrarium. Atque in his constituunt habitum, qui voluntatem juvat & inclinatur ad virtutem vel ad vitium.

Per id enim, quod clariùs & efficacius voluntati stabiliter proponit bonitatem objecti, & delectationem perceptam ex prosecutione præterita talis objecti, faciliùs inclinatur voluntas ad prosequendum denuo tale objectum; sed per species directas quidem clariùs & efficacius interveniente cognitione proponitur voluntati bonitas alicujus objecti: per rememorativas verò delectatio antehac percepta ex prosecutione talis objecti: ergo. Sic à contrario, aversio & difficultas habitualis in quibusdam actibus oritur à speciebus, prædictorum actuum arduam & molestiam repræsentantibus, non à qualitate superaddita, quæ operationes voluntatis reddat difficiliore.

Prædicta tamen omnia sunt ad habitum necessaria. Hinc sunt viri ingenio clari, qui de virtute & actibus honestis species habent clarissimas, & tamen eorum multi vident quidem meliora, probantque, & deteriora sequuntur; quia nempe habent alias species per experientiam haustas, longè vivaciùs trahentes ad oppositum, quibus voluntas cedere assuetà faciliè inclinatur ad vitium. Econtra viri quidam Sancti, præsertim poenitentes, possunt habere claras species de vitio, nec tamen habent habitum vitiosum, quia nempe

pe habent species contrarias potentiùs ad virtutem allicientes, per quas etiam clarè vident, quàm vanæ, instabiles, caducæ, indecentes, & amore suo prorsus indignæ sint voluptates illæ, quas cæci mortales tam avidè prosequuntur.

Convenirent cum iis Recentiores, nisi discreparent in explicatione specierum, quibus substituunt affectiones organorum, & cognitiones animæ primas, & reflexas: organis enim per frequentes impressiones circa aliquod objectum dispositis, facilior redditur ac vivacior objecti perceptio & cognitio, sique illud appareat bonum ac jucundum, consequitur in sensibilibus appetentia sensitiva, & si huic sæpiùs indulgeatur, sensus quoque internus ad ejusmodi actus disponitur; quo fit, ut voluntas postea resistat difficiliùs; inde facilè generantur pravi habitus, quibus voluntas magis ac magis ad malum inclinatur. Quòd si proposita per cognitionem objecti turpitudine, & actus oppositi honestate, anima sensus refrenet, seseque objecti nobilioris contemplationi impendat, illudque velut potentiæ rationali convenientiùs complectatur, ac per repetitos actus spiritualement illius suavitatem degustet, generabitur habitus virtutis, quo voluntas inclinabitur ad bonum, & sensus quoque sibi magis obediens habebit, atque ad convenientem usum dispositos.

Sed in hac materia non sistendum est intra terminos merè naturales: uti enim natura humana non ex se sola, prout fuit à Deo procreata, sentit illam legem in membris repugnantem legi mentis, atque ad malum adeò proclivis est, sed quia per peccatum originale vitiata est: ita etiam in ordine ad bonum non spectari debet secundum solas vires naturales, sed ut per Gratiam Jesu Christi restaurata; his enim Gratiae auxiliis roborata, si cum iis operari velit, altius eniti potest, & magnos in virtutibus progressus facere: ea enim est Dei Bonitas in nos miseros, ut post actum unius insignis victoriæ, nonnunquam speciem infundat adeò vivam, claram & fortem, directam & rememorativam de suavitatem, utilitate & pulchritudine virtutis, deque molestia, damnis, & foeditate vitii oppositi, ut prævaleat habitui inveterato ejusdem vitii; præsertim si accedant auxilia actualia intellectum illuminantia, & voluntatem ad virtutem incitantia.

CONTEMPLATIO XIV.

De Auctore Mundi.

MUndum secundum omnes partes ac rationem omnem hætenus contemplati sumus: jam ordo & ratio postulat, ut ejusdem Auctorem per Theologiam quasi naturalem contemplemur. Igitur Entis primi, seu Dei nomine intelligimus Ens à se, reliquorum omnium principium & finem, Ens perfectissimum, & perfectionum omnium cumulum. Hoc enim ipso, quòd fit à se, & reliquorum omnium principium, continere debet, vel formaliter vel eminenter, reliquorum entium perfectiones, quas illis aut communicavit, aut communicare potest: sique præterea alia sit perfectio possibilis, non potest competere nisi Enti à se: ergo Ens à se hoc ipso continet omnem perfectionem possibilem, omnem scilicet entis ab alio, & omnem entis à se. Quare hæc est veluti prima Dei characteristica, quòd fit Ens à se, ex qua veluti ab essen-